



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. I. Quid sit exceptio, & quomodo dividitur? & de opposita ei replicatione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

T I T U L U S · XXV.  
DE EXCEPTIONIBVS.

## §. I.

*Quid sit exceptio, & quomodo dividatur? & de opposita ei replicatione.*

**E**Xceptio strictè dicta accipitur pro defensione Reo competente, per quam excluditur actio, quæ de iure Actoris competat. Variè hæc dividuntur, ita ut aliæ dicantur exceptiones dilatoriz, & temporales, quæ suspendunt tantum, & differunt ad certum tempus actionem & intentionem Actoris; Aliæ sint peremptoriz, & perpetuæ, quæ tollunt omnino ius agentis, & perimunt actionem. Dilatoriz exceptiones iterum subdividuntur in fori declinatorias ob incompetentiã v.g. Iudicis, aut quoddam suspectus sit, aut quoddam officio Iudicis fungi non possit, &c. quæ ab initio litis statim proponi debent, ne videantur consentire in Iudicem. Aliæ sunt, quæ respiciunt personam litigantis, & opponuntur ad eum ab agendo repellendum; vel ad repellendum procuratorem: aliæ sunt, quæ respiciunt causam, uti est exceptio libelli inepti, litis pendenti.

Secundò dividuntur exceptiones, quoddam aliæ sint personales, quæ personam sequuntur, eamque egrediuntur, & ad hæredes non transeunt, & plerumque Rei talis conventi exceptionem competentiz habent. Reales aliæ quæ

rei coherent, eamque sequuntur, & consequenter ad hæredes transeunt, & est exceptio rei iudicatæ &c. Aliæ sunt mixtæ quasi, certo quidem personam generi competentes, ratione tamen materiz, uti est exceptio Senatus Consulti Velleiani, quibus succumbunt mulieribus, si per suam fidei iussione lædantur: exceptio operarum commo Patronos libertis concessa, ad eas operas obligantes, quæ concessæ libertatis causa sunt impositæ: Exceptio Senatus Consulti Macedoniani, quæ filiofamilias sine consensu Parentis mutuum accipienti competit, & exceptio de qua restitutionis in integrum.

Tertiò dividuntur exceptiones, quæ sint Civiles à iure Civili introductæ, verò sint Prætoriz, à Prætoris introductæ, ex æquitate quadam naturali de quibus Civilistæ. Exceptioni opponitur replicatio, per quam Actor excipit exceptionem Rei, & est quasi exceptionis exceptio; huic autem replicationi obiici potest à Reo duplicatio, à Actore triplicatio & à Reo quadruplicatio, & sic deinceps, ita tamen ut à Iudice ne nimium extendatur iudicium litigationibus, ex officio possit modum præfigi.

§(o)§